

VIA
Per omnem Campum Honorum summorum, Virtutum
ac Meritorum
PROTRITA,
nec non
Religionis Orthodoxæ & Libertatis Ecclesiasticæ
VIGILANTISSIMIS PASTORIEUS SZEPTYCCIANIS

AMPLIATA,
In ipso Insulati Honoris ascensu
ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO
&
REVERENDISSIMO DOMINO DOMINO
ATHANASIO

in Szeptyce
SZEPTYCKI

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopo Premisli-
ensi, Samboriensi & Sanocensi, ex intima cordis pro-
pensione erga Mecænatem suum Amplissimum à Mo-
nasterio Szarogrodensi Or. S. B. M. officiosâ Panegyri

APERTA,

Annô apertæ in Carne humana Salutis 1763.

TYPIS S. R. M. MONASTERII POCAJOWIENSIS O. S. B. M.

VIA

Per omnes Campanas Honorum tumulorum Virium
se misericordia

PONET IN VIA GRESSUS SUOS. Psal: 84.

non non

Religiosis Orthodoxa & Ecclesiasticis

Micruntissimis Ecclesiis Acciuntis



Non eget ad Cathedræ PRÆSUL ducentis honores ,
Cùm benè protritâ flectitur Ipse viâ .

Jam dedit ISTA DOMUS Templis præire Quaternos ,
Quintus habet GRESSUS ampliet unde SUOS .

Библиотека Беларусь

Бібліятэка Беларусь

№ СТ 82116

• 10044 AD • 10.8.2010 10.8.2010

ILLUSTRISSIME EXCELLENTISSIME & REVERENDISSIME DOMINE.

Venimus post tot tantaq; gratulantium cuncta, atq; Procerum confluentium undiq; sequimur frequen-tiam, qui TUO ADITU PRIMO ad has amplissimas Diœceses, atq; tam prægrandi honore obtenta delectantes, mirificè latantur, solcunturq; in omnes planè lætitiae significaciones; & nostram propensissimam in TE MECÆNAS Amplissime gratulandi voluntatem, brevi hac oratione comprehensam instituimus. De hoc quippe Magistratu, quem hodie capessis, publicâ eaq; selec-tissimâ pompâ, redundans in singulos lætitia, in cunctu etiam nostro gaudente de TUA præstantissima Dignitatis fortuna adeò resulfit, ut ipsâ mirâ quâdam personantium undequaq; plausum suavitate concitati, hic accurrere justissimè nobis duceremus. Nam certè, si quorum TUO NOMINI cordicitùs addic-tissimorum hominum interesset suum nunc studium benè merendi de TE PRÆSUL ILLUSTRISSIME testari, tum maximè nostra obse-quia jure oportet, & benevolentiam TUAM noviter promereri, & pristina beneficia TUA, quibus apprimè nostro Ordini addic-tissimus Polonam Provinciam regebas, protegebas, multis commodis iisq; propemodum immensis augebas, defendebasq; singulari solicitudine, pensare, quantum hic exiguitas virium nostrarum permisit. Novimus siquidem Totius ILLUSTRISSIMÆ SZE-PTYCCIANÆ

PTYCCIANÆ Familia ubertim sparsas gratias ubique
ferme locorum nostrorum, idemque nobis patrocinandi stu-
dium in TE PRÆSVL SACERRIME experti sumus
dilucidè per totum planè tractū cœlita Tuae laudabilissimè
atque sanctissimè in nostro Ordine gestæ, maximè cœrò cùm
TIBI de jure gubernandi Monasteria nostra, labor in
defessus incumbebat. Quocirca omnis pretii sibi duxerun:
Patres nostri Operæ Tuae egregiae memores, ut inter gaudia
nonnisi Florentissimorum Nobilium bujus Terræ confluxūs,
qualiacunque vota nostra hac, sinceri gratiæ animi testimoniæ,
in præmium quodammodo Meritorum TUORUM ex-
pēderem⁹. Vile quippè atque TANTO PRÆSTANTIS-
SIMO PRÆSULE indignum illud, quod in hoc offerendo
LAUDUM TUARUM Libro angustissimè concessimus;
utque nonnisi estimationis potiundæ gratiâ conjungeretur
selectissimis, quæ TUO NOMINI offeruntur, præconiis,
arceri fortè ab hoc officio deberemus. Et sic cùm ex intimis
erga TE propensionis nostræ cœsceribus promanare isthac
exarata LAUDUM TUARUM monumenta sciamus,
TUAM cœrò amplissimam in nos benevolentiam atque ad-
ditionem Ordini Sacro intueamur, jam in spem altam
erigimur: quod has paginas quas PRÆSULEIS TUIS
MANIBUS cœlvēdas prono poplite offerim⁹, in qui-
busque pro felicissimo Regimine Tuo peragēdo de cœtatas manus
levarare indefinenter pollicemur, solito TIBI PRÆSUL
ILLUSTRISSIME erga Provinciam nostram amore,
fovere dignaberis.

ILLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO
NOMINI TUO

Devotissimum ac obstrictissimum Monasterium
Szarogrodense Ord: S. B. M.



PANEGYRICUS.



on tantùm lege consuetidinis optimè ac sapienter à Majoribus nostris impositum esse, verùm etiam ab ipsa quodammodo natura istud promulgari creditur , ut ii Illustres meritis ac virtutib⁹ Viri , qui se se gratiā omnib⁹ tales commendārunt , quales habere quisq; sibi pro rerum suarum opportunitate cupiverat , invitēt ad cultūs sui exhibitionem ; ac eorum Fama novis honoribus agitata in universum percrebescit . Nam licet ipsi , de vita sua egregiè gesta , immortalem nacti gloriam , celebres in se semper permaneant absq; alienæ magnificentiæ apparatu ; eorum tamen beneficia , largâ manu , profusa in homines , ad externam laudis cōtestationem exsolvēdam , maximè pro temporum exigentia , munus obligationis superaddunt . Ita verò cùm sibi in mortalibus

A

talibus

talibus perennem memoriam concilient, fortunæ quoq;
suæ obeundis ritibus, si quando eam publicè celebrari
contigerit, non leve sortiuntur adminiculum. Quare
si quid est, quod ejusmodi Viris illustribus, eos magis
insinuet, quos in antecessum suis gratiis plus quam
satìs cumulârunt, certè exinde plurimùm, quòd sibi
adstrictos observent, plaudere cum plaudentibus,
gratulari cum gratulantibus, procumbere cum pro-
cumbentibus, cum voentibus vovere id, quod in
præmium meritorum suorum Divinâ recipiunt provi-
dentiâ. Ut alios tales, quibûs Szarogrodense Monaste-
rium nostrum potitum est, Beneficos non referam,
unicus nobis occuris Mecænas & Patronus præcipuus,
ILLUSTRISSIME EXCELLENTISSIME ANTI-
S'TES, gratiis uberrimis, nedum erga illam par-
ticularem Communitatem, verum in universam
Religionem, nemini secundus, & aliis non postremus
Virtutibus ac rectegestis, quæ in memoriam identi-
dem revocare hodie, nostro cordi incredibilis est
dulcedinis ac ineffabilis lætitiae. Cujus sive in uni-
versum Originem expendamus, à prima ferme sui
planta, unà cum Posteris in Patriam, Fide in Deum,
benemultiplicatis in Regno Poloniarum, crevit semper
in Ordinem Basilianum munificentia; sive in Tua
Persona Ipsa, Merita ac Virtutes spectemus, primus
exemplis in hoc Religioso nostro Instituto singulis
præcurrebas ad bene beatèq; vivendum, indeq;
optimè meritus de Patribus nostris, id Tibi tanquam de
jure

jure incumbebat , ut cùm sis multâ Divinarum humana-
rumq; rerum scientiâ præditus , in vim Meritorum
Tuorum regas Provinciam ; & cùm sis iterum in regenda
ea maximè proficuus , felicem ac beatam reddas , ut
eandem beare atq; protegere singulari suo Patroci-
nio moris erat fere nativi singulis de hac Domo Pro-
ceribus clarissimis . Non hìc deduco , qui de SZE-
PTYCCIIS exstitere Viri erga Ordinem Divinissimi
Basilii munificentiores , quia pares sibi in hac virtute
præclara omnes deprædicantur ; aut quâ methodo in
eundem largas sparserunt manus ? quia una virtute
præstita operiri aliâ pretium operæ suæ duxer-
runt & modestiæ . Verùm hoc enarrare totis virium
nervis contendō , quod Illustrissima SZEPTYCCIO-
RUM Domus sicut à sua origine claruit , & nunc
hucusq; claret dexteritate , sinceritate , atq; pietate
in Patriam , ita etiam in Basilianum Institutum (ut
meritò addam ,) exardescit amore intaminato . Et hoc
est , quòd quām primū de Te uno ex talibus recensitis
Viris MECÆNAS AMPLISSIME fama constans ad
nos pervolaverat futurum Te Præfulem Diœcesis Pre-
misliensis , statim morem & multum laudabilem consve-
tudinem tum à Majoribus , tum ab ipsa ut dixi natura
nobis inditam fecuti , ad exsolvendum publicæ gratu-
lationis officium , inter omnes jam in venerationem
ac reverentiam effusos , jam in lætitiam & alias gaudii
plenissimas significationes deditos , nos etiam extra-
diœcesani certatim accurimus . Quid enim justius ,
nostræq;

nostræq; summô studiô in id propensæ voluntati , ut
optimè de Te mereri semper cupiat , magis con-
sentaneum ? aut quando potius leges suis plaudendi
Benefactoribus usurpandæ tenendæq; sint , quâm tunc ?
dum Tibi PRÆSUL ILLUSTRISSIME Roxo-
lani Orbis desideria , hujus Urbis acclamations , totius
Gregis solatia , in prosperrimo Tuæ Cathedræ primo
aditu , in unam quandam votorum summam officiosè con-
geruntur . Certè supremo altissimoq; DEI ordine nobis
provisum esse ingenuè cōsideri oportet , ut cùm imbecil-
les simus ad respondendum quâ par est Tuis in nos
gratiis jam acceptis , & sumendis in posterum , vota
nostra nonnisi juvemus per vota aliorum . Videmus
autem hodie selectorum Magnatum benè ordinatam
Rempublicam , & huic conjungimur , quæ festivis
gestientium animorum plausibus , ac veluti quâpiam Cæ-
lesti pompâ , pogredientem Te circumambit , suamq;
explicat lætitiam , quòd optima de Familia natum ,
Authoritate ornatum , morum integritate , vitæq;
sanctissimæ innocentia expectatum Præfulem obtinuit ,
qualem semper desideravit . Videmus etiam sacræ
Reipublicæ Cives , nec non Vulgi numerosum con-
fluxum , de præstantissimi Boni publici præsidio in Te
potiundo , placidè gaudere . Et quod maximum est ,
omnibûs exultat triumphis , quòd post amissum non sine
lacrymis & singulari dolore Illustrissimum Antecessorem
Tuum ONUPHRIUM piissimum non minùs , ac sa-
pientissimum Virum , Illum TE sortitur Antistitem , in
quo

quo reparari sperat ea omnia , quæ in illius mortali
occasu amiserat , & reparatis adhuc nova augeri per
TE commoda , quæ in Ecclesiæ , Cleri , & ipsius Ple-
bis emolumen tum cedant . Non enim quodam volu-
bilis fortunæ eventu evenisse id arbitratur , quòd post
depressum ONUPHRIUM in cineres mortales , suc-
cedentem in Cathedram ATHANASIUM pronissimo
poplite venerari concessum sit ejus felicitati , nam
vertit in sacros Codices mentis oculum , & videt
Alexandrinum illum Athanasium Tuum Præsul Sacer-
rime , & Nominis , & publici ascensū hodierni Patro-
num , in Cujus animi fortitudine , mirâ persecutionis
tolerantia , tanquam in aliquo ferreo brachio inter-
tot heterodoxos Arianos perstigit Ecclesia Christi ,
agitata quidem eorum pestilentia , ast labefactata
minimè ; & cùm suum observaverit Athanasium , vix
in aliquo discrepare ab Alexandrino , immò singulari
quapiam harmonia , sanctitate , sapientia , prudentia ,
justitia , & in rebus adversis constantia , eidem san-
ctissimo Patri , & Doctori Ecclesiæ , cohærere provi-
dentissimè de Cælo , & non casu oblatum sibi agnoscit .
Indeq; omni propulsa suæ spei formidine , conjicit non
improbè Diœceses orbatas solari , & tanquam labefa-
ctatam ex primi Pastoris casu Ecclesiam quodam-
modo cenuò erigi , roborari , solidariq; in Te Pastore
suo restituto . Et hoc ipsum est , quod perspicuis
argumentis pro munere obsequentissimorum erga Te
animorum nostrorum in planum deducere calamo in-

cumbit. Ut autem confusa à Claris separemus, & universim de Nobilissima Tua Domo prædicanda secer-namus à particularibus, duo erunt, quæ ad dicen-dum de Te, deq; Tua optimè commendata Progenie PRÆSUL ILLUSTRISSIME occurrent, quæq; ob oculos nostros versabuntur per totum istiusmodi paginarum cumulum; alterum dilucidè constabit, nimirum: quòd sit maximè prosicuum Honori Divino promulgando SZEPTYCCIOS Viros esse Pastores in Christi Ecclesia: alterum, quòd hæc eadem in-violata veritas asserta TUIS Dotibus ad regendam Ecclesiam à natura & acquisito studio compositis mirum in modum cohæreat.

PARS PRIMA.

Atq; imprimis qui diligentius rem perpendent, haud supervacanea videbitur argumenti primi tra-tatio, quidnam utilissimum aptissimumq; sit Supremo DEI Cultui in Ecclesia augendo, quidve Christianam Fidem conservandam deceat, illiq; dilatandæ potissimô adminiculô fieri ceseatur. Et statim è sa-criss literarum Codicibus (a) amplissima se se por-riget ratio; eos nimirum qui gubernandæ Ecclesiæ à D. T. M. O. susceperunt Provinciam, Viros de-bere esse sapientes, atq; multarum rerum scientiâ ornatos. Quodsi enim Christianis ad beatam vitam eamq; intaminatè atq; illæse fovendam summo est profectu Scripturarum volvere paginas, tum

Præsulibus

(a:) *Dabo Vobis Pastores, & pascet vos scientiâ & doctrinâ.* Jerem. C 3.

Præfusibus , qui sacrum capeſſunt Magistratum non
ad propriam tantum æternam cæleſtemq; vitam , ſed
ad exemplum quoq; illorum quibus præſiciuntur , ma-
ximè eſt neceſſaria in Divinis & humanis ſcientiis
verſatio . Namq; cùm multæ diſſicultates per dogma-
tum ſententias acutas & graves utpote ex abdito
Increati Intellectū erutas , captui ingeruntur ſub-
ditorum , quorum intelligentiæ adeò modicifima
existimatur parvitas , ut infinitis partibū plura ſint ,
quæ nescit , quām quæ novit ; quanto amabò lumine
acquisito inſtructum oportebit eſſe arbitrum Eccle-
ſiæ ? quā non indigebit prudentiâ , quave celeritate in
diſſolvenda lite etiam in negotio Fidei quandoq; à vanis
& incultis ingeniis excitata ? Quanquam profecto
eiusmodi ſit abſtrusorum mysteriorū profun-
ditas , ut in oculos mentis Sapientum etiam incur-
rendo non cognoscatur , auribūs percepta non com-
prehendatur , linguis prolate non intelligatur intra
limites naturæ , ea tamen aptare & quodammodo
combinare , captu gravia levibus , & diſſicilia imbe-
cillibus ingeniis rudium maximoperè expedit eis ,
qui Christianæ Reipublicæ tranquilliter regendæ in-
cumbunt . Id autem eſt , quod non ſine magno favore
DEUS in mundo ordinavit , ut ſicut validiſſimus exer-
citū uni paret Duci , ita quod omnium veritatum
maximum eſt , unicus Ecclesiæ Præſes rerum refer-
tiſſimarum peritiā imbutus Christianæ præcat militiæ .
Etenim ſi unumquemq; ſuo proprio arbitrio relin-

queret

queret, DEUS ille, qui in bene atq; glorioſe ge-
rendis Ecclesiasticis disciplinis mirifice providus est;
an non in universum ipsius arbitrio eſſemus contrarii?
quot quæſo inconcuſſæ veritates in male contortas
& aniles narratiunculas inter plebem minus cultam
abirent? quæ non pefſundarentur Præcepta Legesq;
illæ, quarum cauſa (ut ajunt) in veticum nititur hu-
mana infirmitas? quæ commenta atq; fabulæ non pūl-
lularent in Petris Ecclesiarum? Hoc autem idem eſſet,
acſi Respublica Christiana Princepe ſuo careret, cùm
eundem haberet inſcium; aut ſi ſciolum, alienum
tamen in diuturna diſciplinarum opera navata. Ex-
planare enim arcana Fidei, atq; juxta Sanctorum
Patrum monumenta, veritatem ejusdem deducere,
veram genuinamq; Sacræ Scripturæ intelligentiam
plebi ingerere, atq; juxta corundem Voluminum
ſenſum verba ad populum facere, exemplum in ſe
ipſo ad rectam horum ſapientiam auditoribus com-
ponere, atq; execrandam Divinorum verborum in-
prava contortionem de conſuetudine ſui populi ex-
pungere, Leges Divinas ac Ecclesiæ dilucidè expla-
nare, mentibus ſubditorum inſerere, ad virtutes non
minus ardentē cohortari, ac acquirendarum earum
methodum ſapienter proponere, hæc ſingula Doctorum
Sacrorum muneris interſunt. Qui, ut magnum emolu-
mentum rei Christianæ faciant, ſummam in iis di-
ſciplinam tantopere exoptatam, ipsum etiam Eccle-
ſiaſtici Viri nomen atq; operis negotium commoſtrant

ad eviden-

ad evidentiam . Et hoc est , quod nunquam satis laudanda illa in Ecclesia defecerat consuetudo Fidei dogmatibus associandæ etiam Scientiæ naturalis ; etsi enim errores , quos perditorum aliorumq; hujus furfuriis insanorum lingua evomit haud expugnare valeant immobile Fidei Christianæ firmamentum , optimò tamen quôdam , immò necessariô earundem veritatum propugnaculô esse Scientias scholasticas minimè revocârunt in dubium , immò confirmârunt Patres sanctissimi . (b:) (c:) Quippe cum sint liberiores in discurrendo quam Fides , quorum quæso hæreticorum fraudulentæ incursioni , scientiæ illæ non obviabunt ? quas dolô plenas argutias non detegent , restringent aut evellement radicitus ? Hæc profectò Fidei Catholicæ admicula instar muri dicenda sunt non tantū ipsis Dogmatibus (d:) verùm etiā integritati morū , tantoq; rectius appellanda , quanto incredibili furore atq; invidia erga Scientias scholasticas Fidei & Sanctimoniacæ conservatrices perculti heterodoxie eas negligentiae , socordiæ , temeritatis , aliorumq; hujusmodi vitiorum causam impudenter vocant . Præclarum itaq; est atq; singulare & gerendo muneri (cuius maximè Principes Ecclesiæ interest) aptissimū , nimirum subtili ingenio præditum esse in quaq; re & in quavis Scientia , omnes terminos & singulos Disciplinarum limites apprimè cognoscere ,

C ut acquisitis

(b:) Invictum Fidei propugnaculum . Sextus V. (c:) Disputationis discipline ad omnia genera questionum , quæ in Literis sacris sunt penetranda & dissolvenda plurimum valent . S. Aug: lib. de doctr: Christi. cap XIII. (d:) S. Basilius in Cap. 2. Isaiæ .

ut acquisitîs Literarum dotibûs , eam prudentiam quam
habent à natura sua , juvent , idq; pro oportunitate
devoluti ad manus suas Hierarchici vel Politici alicujus
negotii , aut planè dissolvendi inter Fideles , aut indu-
striosè etiam componendi . Et quid ? si ipsius Ponti-
ficiæ Dignitatis munia in Iis attentè contempleremur ,
illîs quidem nihil est illustrius , sed quid gravius co-
gitari potest , quod nostris Præfulibus à DEO de-
mandatum cernitur & quodammodo humeris ipsorum
impositum ; nimirum Bono Reipublicæ Cristianæ
consulere saluberrimè , juri suo subiectas Ecclesias
amplissima potestate regere , irretortis oculis super
suas Diœceses excubias indefinenter agere , Populo
incorruptorum morum atq; doctrinæ sanæ pabula de-
center providere ; hæc præterquam in omni Scien-
tiarum genere versatissimam peritiam postulant , non
mediocrem etiam vitæ Sanctitatem efflagitant . Ad
eorum namq; Dignitatem utpote omni æstimatione
sublimiorem non satis illud acommodatum esse vide-
tur , quod per partes aliqui distribuunt , & sigillatim
aliis alia adaptant , scilicet : quasi unicos prudentes
gubernare debere , sapientes docere , Viros verò san-
ctitati deditos pia vota fundere . Quid? cum Eccle-
siarum limina pulsant Antistites ad Aras accedendo ,
ibiq; Summi Sacerdotis munus peragendo , nonne ex
ore vultuq; suorum Pastorum omnis pietatis in Deum
amorem , sagaci attentione explorat Populus ? nonne
orandi colendiq; ritum ad sui doctrinam ex Præfulibus
colligit

colligit? quorum enim, Potestate suprema intelligit
se regi, Eorum etiam vult Sanctitate prælucescente
quodammodo sanctificari, Eorum præeunte cultu, Di-
vina colere, Eorum ferventi in Superos amore præ-
cedente, in amorem pariter exardescere, & ut
paucis concludam: ad singula Ecclesiasticorum Prin-
cipum rectegesta, suas cupiunt componere actiones.
Hæc verò cum maxima ex parte Divini Honoris au-
gmentum concernunt, in unam quandam Pontificiæ
Dignitatis summam Sapientiam, Prudentiam, &
Pietatem coacervari, necesse est; nimirum Sapientiam
in docendo, Prudentiam in regendo, in exemplifi-
cando verò Pietatem. Atq; jam hinc si accurate exqui-
siteq; perpenderimus, quomodo Clarissimi Viri Illi
SZEPTYCII omni elogiorum cumulatissimi appa-
ratu, omniq; saeculorum spatiō si non in Ecclesia-
stica, Civili tamen Republica semper egregiè cele-
brati, ad sublimem hanc maximeq; raram regendæ
Christi Ecclesiæ Potestatem pervenerint; quanquam
facilitandæ elucidandæve hujus quæstionis undequaq;
infinita proptermodum ubertas offeratur, aperiaturq;
materiæ amplitudo, maximè tamen ex eo, quòd in
rebus gerendis tum Ecclesiasticis, tum Politicis mirū in
modum prudentes, doctos & industrios, Sanctitateq;
cospicuos Viros se se commostrârunt. Et ita primō
instituenti calculum diligenter, proh dolendum!
quod de mortali cinere Viri illius excitandum nobis
sit memoriam; occurit Ille nunquam satís laudandus


ILLUSTRIS-

ILLUSTRISSIMUS EXCELLENTISSIMUS &
REVERENDISSIMUS, D. ATHANASIUS Primas
Metropolitanus Russiæ, Cujus dotes ac prærogativas
singulas distinetè sigillatimq; ex antiquis monumentis
exculpere, atq; in hanc angustam paginam porri-
gere, idem esset laboriosi studii intentum, ac sua
torquere ingenia in cassum, etiam missò negotiō bre-
vitatē succinctæ. Quis enim Illo præstantissimō Viro
circa Honorem Divinum, quām maximè in Ecclesia
procurandum erat solertior? aut in consiliis dandis
coiuscunq; rei Illo prudentior? quis in Mysteriorum
Divinorum explicanda veritate profundior, aut edo-
cenda beatior? quis in extollenda Ruthenæ Ecclesiæ
Hierarchia studiosior, aut hujus operis gratiâ in deli-
berandis & adhibendis mediis sagacior? Qui postquam
à primo lucis suæ aspectu, castioniæ vitam integer-
rimam cælitùs dicârit, indeq; Monasticæ disciplinæ
sanctissimè consecrârit, mox istud pro invariabili fine
placendi DEO sibi statuerat, ut Ejus ingenium natu-
rali bono perspicacissimum, ora, manus, atq; ex-
terna corporis compositio, otiō in Christi Ecclesia
non torpescerent. Primum enim minoribūs egregiè
& cum laude omnium perfunditus, majorem tandem
Metropolitanam Dignitatem præstantissimè gerens, ut
Ejus præclaris dotibus atq; summè laudabili indoli
cohærebat; quis vietas manus in eam veritatem non
fit daturus? quod Ille Vir, & sanctissimus Pastor, &
præstantissimus, exquisitaq; perpolitus disciplina Rector
universæ

universæ Ecclesiæ (Ruthenam dico) ad Ejus studium
& sollicitudinem providissimè devolutæ , sit unus de
Illijs Præsulibus , ex quibus gloriam in Deum , sum-
mumq; in Ecclesiam emolumentum consurgere , fixò
habemus argumentō . Mox enim ac amplissimorum
redituum particeps extiterit , iam largum se the-
saurorum in Ecclesiam Leopolitanam Dispensatorem
esse , iam docilem Cleri Reformatorem , iam unicum
eumq; sincerrimum in negotiis nostræ Provinciæ am-
pliandæ Consiliarium ac clementissimum Protectorem ,
iam Præceptorem ceu Suasorem liberarum artium in
nostro Ordine instituendarum & Instauratorem mun-
ficum , suarum partium duxerat . Hoc verò ideo
persuasum est nobis accuratè enarrare , ut illum
Apostolicum Virum & tanquam de Cælo suæ gregi
provisum summè DEO & hominibus proficuum , atq;
incredibili quadam amoris prosecutione à Sede Apo-
stolica æstimatum verè fuisse in Ecclesia Christi Pa-
tronem indefessum , indubium foret apud eos , qui
curiosè & diligenter investigare voluerint , quales
Pontifices commendatissima SZEPTYCCIANA Fa-
milia antè procreārit Ecclesia , & nunc faustissimo
eventu gignit . Præclarum illud est & nonnisi in mer-
cedem singularium meritorum Ecclesiæ præstitorum
utpotè ex ore iustissimi hac in re Arbitri BENEDI-
CTI XIV. depromptum , quod in laudem immor-
talem sui natus est ILLUSTRISSIMUS Metropo-
lita ; nimirūm post primum illum Christiani orbis

D

firma-



firmamentum , Athanasium Doctorem Patrem sanctissimum , d̄ prædicatus est : successisse se & secundum in Ruthena Ecclesia fulcrum esse . Neq; hoc immerito ore omnium circumferri permisum est . Vedit enim Roma in illo præstanti Pontifice , quod quotquot agrestem ac rudem plebem rerum sacrarum rudimentis imbwendam per suum Clerum maximè curaverit , & ex eo difficultatum angustias pertulerit , tot sibi miræ patientiæ palmas agnovit , parturiisse , & quasi illum Athanasium primum ut petrā in perferenda persecutio Arianorum , procellas retundentem approbavit . Vedit labores Ejus Apostolicos verè , tum in reformandis moribus deperditis aliorum toties largissimè Eum profudisse sui sudoris guttas omni æstimandas pretiō , tum in revocando & instituendo flore primo Ecclesiarum , tot fortunæ suæ jacturam inscepisse , tot valetudinis suæ discriminis in gratiam boni publici oriundi permisisse , atq; propriæ vitæ detimento pepercisse , ubi vigilantissimo Pastori aut DEO gloriam , aut Sedi Apostolicæ obsequium , aut animabus aberrimam messem fructuum lucrandi modus offerebatur . Quamobrem tot tantaq; præclara merita tanquam laureolas quasdam incomparabili suō ingeniō cæterisq; dotibūs ad bene merendum de Ecclesia dicatis , plexas , ac quasi coronas dignas honore , immortali verō apud Deum & homines laude , manibūs suis præferentem Metropolitam Illuſtrissimum , observans Ille de navicula Petri

univer-

universalis Pontifex , miratus est , atq; adeo singu-
larioribꝫ gratiis & Privilegiis Eundem prosecutus ,
ut dederit causam istud omen formandi in arbitrio
hominum : Athanasius si supervixisset confedisset
proculdubiò inter Patres Romanæ Ecclesiæ Purpura-
tos . Sed neq; privatum erat Nomen Ipsius in va-
stissimi hujus Regni Poloniarum Republica ; cum
enim Illi Viro summa authoritate atq; augusta qua-
dam ingenita majestate Personæ suæ , aliquid ad po-
liticen gerendarum rerum publicarum attinens disse-
rere contigerit , mox Togati Cives qui arctissimam
ab Eo amicitiam quæsierunt certatim , maximam cog-
nitionem & sapientiam rerum adeò diversarum de-
periebant in Ipso , atq; nunc plaudebant manibꝫ ,
nunc Senatorem nasci Ipsum debere , non creari ,
plenō selectissimarum laudum ore deprædicabant . Et
hinc est , quòd ipso annuente immo speciali erga Tan-
tum Antistitem accedente favore serenissimæ Majesta-
tis , ad arcana suorum consiliorum Senatus Polonus
honorifice Eum invitavit , & tanquam membrum
suæ communitati adaptare ardenter cupiverunt Illi
Magnates senatoria dignitate ornati , qui Metropo-
litanum Caput gravissimum sententiis , salubribꝫ
consiliis onustum , celerrimū , & in omni cogitabundo
genere scientiarum refertissimum deprehenderunt .
Tunc verò inter tot ac tam altos honorum fastus , qui
Heroicum illum Virum verè fugientem sequebantur ,
renuenti blandiebantur , & in manus Ejus invitū
devol-

devolvebantur , intueri cuiquam licuerat ; quantum
preium Ipsius virtutum æstimandum esset , & quantâ
sanctitate emineret in præferendo Ecclesiastico Impe-
rio , cui in honorem DEI & suæ Gentis ampliando ,
non minus propensissimus fuerat , quam studiosissimus
Pater posthabitîs Sanatorii Imperii negotiis . Putavit
Ille unicum esse inter homines commendationis suæ
munium , atq; præstantiorem fortunæ suæ partem ori-
turam fore intellexit , nimirum esse suo populo & toti
Ecclesiasticæ Hierarchiæ benè providum , utilitatis
eorundem industriosum augmentatorem , apud san-
ctam Sedem Romanam , & Serenissimam Regiam Ma-
jestatem Gentis Ruthenorum commendatorem , &
hujus rei enixissimè navare operam in animum indu-
xit , attigitq; id cum gloria sua nullis sæculis oblite-
randa . Et quid ? in illa Urbe Regia ordinatissima (ut
alios modos qui Illustrissimo Metropolitæ ad capes-
scendum Magnatum corda propè erant infiniti taci-
tus transcurram ;) quibûs inquam in ea elogiis Se-
suamq; Ecclesiam non extulit , aut non commenda-
vit ? aut commendando non insinuavit singulis cordi-
citus ? quando numeroſo suorum Præfulum agmine
ſtipatus , inter amplissimum Primorum Regni hujus
confluxum , ac dulcem piorum hymnorum ſonum ,
ab aulædis choraulibus tibicinibusq; in tubis duclibus
variôq; musices , genere , mirâ harmoniâ ordina-
tum , Divina , confueto ritu sanctissimè obivit , atq;
ſacro ornatu Primate Russiæ ſe ſe ad pompam tali

Prælato

Prælatō & Regibūs Serenissimis dignam exhibuit .
Tunc certè augustissima Majestas Regia , in tam
præclarè elucescentis Ruthenæ Ecclesiæ apparatu ,
admiratione rapta , tanquam prima hac in re mentis
suæ oculorumq; faciem mirificè recreavit , Senatus
verò ad dulcedinem corda sua satiavit , sparsis verò
per totam Uibem rumoribūs , nihil quod non hono-
rificum esset , & ad commendationem Illustrissimi
Metropolitæ aptissimum ore vulgi circumferebatur .
Et hic profecto erat Pontifex à DEO suæ Ecclesiæ
provisus , qui pro rerum variarum oportunitate
variè etiam suam præstantem indelem aptabat ; aliis
nimirum pietatem de suarum virtutum cumulo ad-
ministrando , aliis prudentiam in consulendo com-
monstrando , aliis clementiam in subveniendo dispen-
sando , aliis ad alia munera facillimum se præstando ,
& quod precipuum in Ipso erat : Ecclesiæ fidelium ,
doctrinâ prælucescendo , & ad beatè instituendam
eorum vitam omni exemplaritate præeundo . Angu-
larem verò lapidem & ut alterum Doctorem Hiero-
nymum concreditum fuisse Ecclesiæ CELSISSIMUM
PRINCIPEM ILLUSTRISSIMUM EXCELLEN-
TISSIMUM ET REVERENDISSIMUM D. HIE-
RONYMUM SZEPTYCKI ingenuū illum Anti-
stitem Plocensium , neminem reperturum credo , qui
hanc rem indubiu verteret . Hujus enim prudentiam in
agendo , rebus in omni statu præclarè gestis tantoperè
confirmatam , admirabilem in summis negotiis experi-

entiam , ac in eisdem conficiendis vel dirimendis
raram celeritatem , tot prolixa indicia Orbi Polono
depromunt luculenter , quot quot in hoc Regno tum
pro Ecclesiastici boni publici incremento , tum pro
ipsius Regni immunitate utilitateq; munera obierit ad
cæterorum admirationem . Teneris adhuc in annis
primæ institutionis suæ rudimenta ex ipsis virtutibus
coacervando , Ille vir magnus , qui accommodato
ætati suæ tempore omni sanctitate conspicuus Prin-
ceps Ecclesiasticus pro utroq; foro , sacro nimirum &
civili summè proficuus , indubie sperabatur . Postquam
verò plurima externalium rerum notitiâ ac literarum
peritiâ imbutus , ubertim spargere cœpisset spei de se
conceptæ fructus , haud tardò magnæ sortis suæ
curriculô , jam in SUFFRAGANEUM LUCEORI-
ENSEM electus , jam in Episcopalem præcelsam
dignitatem Camenecensis Ecclesiæ Nominatus , per
tot Cathedras scandens , tantis promeritis eminuit ,
ut Camenecensis pro sua parte , pro sua verò Plo-
censis Ecclesia de Illo Antistite concertarent . Ve-
rum cum laboriosius intra limites Plocenses utpote
disertissimas ejusmodi Diœceseos regiones studium
DEI gloriæ augendæ aperiatur , oportunius erat atq;
ad majestatem tantæ Ecclesiæ splendidius , ut Hujus
Principis delectui Supremum Numen faveret , qui
ad promovendam Christianæ religionis incolumita-
tem , atq; reprimendos hostium fidei impetus , deniq;
ad conservandam populi tranquillitatem aptior esset
atq;

atq; accommodatiōnē. Hac vērō in re perquām insigni
planeq; eximia quis tam aliquando evaserit Pontifex
activior? Hieronymus ille Plocensium Antistes cla-
rissimus; quis ad propulsandam in Ecclesia excita-
tam seditionem adeo industriosior extiterit , ut
sine pugna domaret hostem , & sine prælio trium-
pharet? Hieronymus Plocensium Antistes prudentissi-
mus ; quis tam abditas , atq; inaccessas quarumvis
difficultatū q̄æstiones disrumperet? Hieronymus Plo-
censium Antistes in arcanis disciplinarum profundissi-
mus . Hæc certè ingenii præclara ornamenta , hanc
animi promptitudinem , in regendo atq; examinando
prudentiæ agilitatem , quā , quod pleriq; Pontifices
aliis committunt , Solus optimè administrare possit
ILLUSTRISSIMUS SZEP TYCCIUS ; æstimavit ,
simulq; istiusmodi veritatem approbavit Serenissi-
mus Poloniarum Rex AUGUSTUS III. idq; tunc ,
cum neminem tam arctiorem Consiliorum suorum
Administrum intra Proceres Regni sui reperiendum
putârit , atq; ad tractanda imperii sui negotia expe-
ditiorem existimârit , ut Virum illum omni hac in re
perspicaciâ instructissimum . Quo circa à suo latere
cum Regia plena autoritate Tribunali Radomiensi
Thesauri Regni hujus , Eum demandatum iri voluit ,
utpote incorruptum aurō Officiale , summumq; Tri-
bunalis hujus Præsidem , omnibus privilegiis potestatis
exercendæ causâ (ut honor tanti Ministri postulabat)
communivit , ornavitq;. Effari autē vix potest , quan-
tum

tum emixè fungens publico illo ministerio pro com-
muni Regni hujus utilitate laboraverit , aut pro
publica pacis tranquillitate indomitè se gesserit , ubi
ratio æquitatis poscebat , aut quomodo ex alto
Sapientiæ suæ prospexerit ? ubi subsecuturum dis-
crimen aliquod eidem bono universo comminabatur .
Nam sicut in templo Episcopum Sanctissimum , in
Diœcesi Pastorem vigilantissimum , in Consilio Sena-
torem utilissimum gerit se pro DEO , Rege , &
Lege , ita pro Regni ipsius negotiis suæ industriæ
commissis prudenter mirum in modum studuerat isthoc
pertractare officium . Ille enim Vir erat , qui quantum-
vis nullum adhuc inantecessum Magistratum gubernan-
dum susciperet , propter ingenii tamen & prudentiam
majorem in rebus exquisitè agendis autoritatem apud
singulos obtinuit , quam qui in Magistratu , & honori-
bus constituti essent . Quid verò tam præclarum , atq;
præter consuetudinem inusitatum , tamq; singulare
ad commendandam Istius PRÆSULIS optimè perpo-
liti ingenij , & Sanctitatis illæsæ præstantiam ?
quid tam admirabile , ac illud ? quod repetitis vici-
būs , supremi Iudices æquitatis Tribunalitiae ad suum
confessum invitârunt , populus universus ardenter
desideravit , Nobilitas verò insequebatur , ut rerum
agendarum consilia , & rationes suas administraret .
Subducto hic cæterarum virtutum calculo , quas ali
quoties Deputatus ad Supremum Tribunal , & ut
supra negotia Radomiensia Præses cum summa æstima-
bilitate

bilitate Nominis sui congesserat ; istud præcipuæ laudi sibi comparavit ILLUSTRISSIMUS HIERONYMUS , quod sub ipsius delectu ad hæc iudicia suprema , nullus pauperum visus est lites institutorus , qui per illum Iustissimum Iudicem non absolveretur dives . Nam qui patrocinium Ejus efflagitabant , his opitulabatur , & qui suæ fortunæ iacturam plorabant , his pro more suo lacrymas abstergebat , & quos afflitos cernebat , consolabatur eosdem , & quos improbè opressos animadvertisit , ab illis illatas iniurias procul removebat , nec hominum erat aliquis , quem in iudicando pietas Optimi illius Viri , subterfugeret , nisi prorsus traditus fuerit Ejusdem Viri oblivioni eventu fortuito . Nam quod & memoriæ suæ mandavit , & simul recensis superius virtutibûs perbellè confirmavit , id quod sanctissimus Cantuariæ Antistes loquebatur , nimirum debere se templo , devotionis majestatem , Diœcesi , vigilantia potestatē , consilio verò pro Deo & bono Regni , zelantem sinceritatem ; hæc quidem pagina elogiorum PRÆSULIS Plocensium , utpote angustissima est , subticuit . Sed quæ amabò Ecclesiarum , Ejus præclarissima actionum exemplaria non celebrat ? aut in altum virtutes non extollit ? ubicunq; hic PRÆSUL sive in Luceoriensi , sive Camenecensi , Plocensiq; Ecclesia stetit , ac pedem fixit , mox vestigia ad imitandum insignem suam pietatem , doctrinæ explicandæ suavitatem , incomparabilem vigilantiam circa pascendum

oves planè Apostolicam reliquerat post se. Quan-
tum verò attinet ad consiliorum suorum gravitatem,
sinceritatemq; in patriam , optimè norunt illi , qui
Eum in Curulibus Assessorem venerantur prægrandem
numerô Senatorum , & Concivem ejusmodi amplif-
simæ præstantissimæq; dignitatis . Quæ enim in Eo
sententiarum maturitas , vel prolatorum verborum
tanquam illabilis veritatis soliditas & in ipso dicendo
iustitia non refusit? quod verbum depromptum de
ore illius sapientissimi pariq; ratione lectissimi Se-
natoris incassum præteriit? & non potius emolumento
summoq; Parriæ commodô profuit , atq; cessit? quæ
magni momenti negotia ille non facilitavit , dissolvitq;
dubia ? quas perplexitates aliorum iudicia ingeniaq;
torquentes ad planum non reduxit , non explicavit ,
atq; ad evidentiam , admirationem vero Consiliario-
rum non explanavit? Ille est Senator , cuius sententia-
rum maturitate , mox ac hunc aggressus honorem ,
crevit bonum publicum , Cujus oraculorum veritate ,
atq; salubritate Patria solidatur tot dissensionum
domesticarum concussa atq; agitata insultibûs , foris
verò in suis limitibus , hostilium armorum acie cir-
cumsepta undequaq; nunc ex Borussorum conflictu ,
nunc Tartarorū quadam ad Regnum Poloniarum præ-
tensione , perculta atq; perterrita ; Cujus in dicendo
iustitia Senatorū cordi adhæsit , atq; adeo complacuit ,
ut ex ordinatione Ejusdem Senatus , jus gladii ad manū
devolvere tam incorrupto iustitiæ Arbitro , Plocensi

nimirum

nimirum Antistiti minimè dubitârit, immò dignū tanto
Virō duxerit, atq; CELSISSIMUM PRINCIPEM
Severiæ nuncuparit, ratificâritq; statutis. Præcelsa
hæc sanè, & ut summa nonnisi summè emeritis in Regno
Proceribūs æstimanda sunt. Atq; si quis famæ fortunæq;
Magnatum SZEPTICCIORUM adeò foret invidus,
ut oculis Celsissimæ etiam Eorum dignitatis luce
apertis, & quodammodo invitùs reclusis & retortis,
cernere hanc veritatem, quam in propositum nostræ
operæ statuimus, abnegaverit; videat, fateaturq; neces-
se est de celeberrima hac Familia Antistites, in Eccle-
sia Christi adversus hostiles impetus, & verbô & ipso
gladio pugnare. Verbô, morum integritatem fideles
docere, gladiô verò, vitia eorū exterminare, verbô,
deperdita, atq; in fide labefactata ingenia ad Chri-
stianum sensum revocare, gladiô, excitandos in Ec-
clesia tumultus domare, atq; reprimere; gladiô, alien-
nos ab Ecclesia orthodoxa profligare, disciplinam
sanam & intaminatam propugnare, verbô verò, trium-
phare, ad ovile Christi reducere, atq; in unam Ro-
manam colligere, componereq; Ecclesiam. Et ut
hujusmodi rei pretium ob oculos nostros dilucidius
versetur, tum luculenter de Apostolicis appareat
laboribus, Illius indefessi in vinea Christi Operarii
ILLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI ac REVE-
RENDISSIMI D. LEONIS SZEPTYCKI Leopoli-
tanæ Ecclesiæ Principis, Metropolitæ Coadjutoris se-
lectissimi; Viri sane ad regendum populum Dei eximiè
accommodati

accommōdati . In cuius meritis deprædicandis tanta
laudationis ubertas confluit , ut incredibile quoddam
sensui humano pariant confusum ; idq; ideo , quia cum
sint paris æstimationis , & summæ gloriæ , non jam cer-
tati , ut contingit in meritis dissimili ratione comparatis
quorū unum nobilium minori alteri laudando præcurrit ,
sed coniunctim singula ad extollendum se se porrigunt .
Eum ceu potius similem nostra sœcula , nostraq; Ec-
clesia , capessunt LEONEM eruditissimum , sacraq;
& civili disciplina sapientissimum Pastorem , ac fide-
lium Doctorem , in cuius encomium Patres Chalce-
donenses negotii causā impiæ Nestorianæ hæreseos ,
congressi , uno ore eruperunt , hoc nimurum : Pe-
trum per Leonem (Romanum scilicet Supremum
Pontificem) locutum suisse , atq; sana dogmata Chri-
stianæ fidei dedisse , conclamarunt . Nam in primis ,
cum non interrupta serie , ab ortu suæ vitæ ad majo-
rem ætatem protendendus , Antistes modernus Leo-
politanus maximæ spei esset apud suos , & jam ex
unguis tenerrimæ , sed ingenuis moribüs grave-
scentis juventutis suæ LEO cognosceretur futurus ; mox
ad maximos labores , & ardua literarum negotia annos
suos primitiales exercendum , conferendū Illum summo
studiō habuerunt . O ! gloriosissimū vitæ genus , quod
prima suscepereat adolescentiā hic Vir præstantissi-
mus . Quippe primò deditus Collegio Pontificio Leo-
politano , ea , quæ congrua parti suæ erant , transcurrit
tyrocinia ad admirationem adeo , ut consuetudinem

primævæ

primævæ juventuti planè ingenitam , animi scilicet
vividitatem per ignaviam desidiamq; inaniter expen-
dendi , nedum in suas actiones , verum etiam in inen-
tem minime revocârit , atq; induxerit . Antequam
enim adolevit , excrevit in virum scientificum tantæ
æstimationis , ut dignus habitus esset , a Patribus Col-
legii Leopolitani apud Romanam Urbem scientiarum
suarum , quibûs probè hic in Patria se imbuit , insti-
tuere pro Doctorali laurea certamina . Tantum
plurimi habebatur , antequam navaret operam The-
ologiæ , PRÆSUL hic omni laude ornatissimus . Quid ?
egressus e ludo in Polonia artium liberalium , post-
quam se Romam ad Nazarenum Collegium celeber-
rimum contulerit ; qua enituit doctrinâ , quantave
tinctus virtute res altissimas perscrutandi ? nunc civilia
jura manibûs pervolutando , nunc sacrorum Canonum
textus intelligentiæ atq; scientiæ mandando , nunc pro-
fundissimas sacræ Theologiæ difficultates pari ingenii
sui profunditate , atq; agilitate metiendo . Documen-
to est , ea utriusq; juris copiosa cognitio , quam cum
gloria sui Nominis , & Polonorum gentis commenda-
tione , in hac urbium Matre , cohærentem suo Præ-
suleo muneri potiundo in posterum , paravit . Memi-
nit enim semper futorum se esse in omnium existi-
matione , atq; quodam pervulgato de suo alto ascensu ,
omine , Ecclesiæ Ruthenæ columnen , ornamentū , & de
Cathedra Pontificia Doctorem amplissimarum Diœce-
sum , maximè verò illo tempore , quo sacra ejusce

G

Ecclesiæ

Ecclesiæ Hierarchia omnium operâ indigebat ; atq;
sicut decuit , Virum ad hoc muneris genus destinan-
dum exornavit se , diuturniori labore , & diversarū
rerum peritiā . Sic verò innata sibi alacritate latus
tanquam volubilibus alīs per exterias Regiones , ma-
ritimaq; discrimina , studiō ubertim colligendi scien-
tiarum fructus , jam Romæ Theologica facultate , jam
linguarum varietate Lutetiis Parisiorum instructus , eo
laudabilius è peregrinis oris redibat in Patriam , quod
& amplissimum disciplinarum profectum se cum Eccle-
siæ veheret , & mox ejusdem gubernandæ suscepturnus
provinciam , prodesset illius bono , cui maximopere
dilatando attendebat . Ut autem ad rem ipsam , de qua
scribere in præsentiarum instituimus , accedamus , quæ-
rendum nobis incumbit ; hic PRÆSUL de genere
SZEPTYCCIORUM præstantissimus quantas virtu-
tes , quantave emolumenta ex illo munerum suorum
cumulo , quem apud exterios gloriose sibi vendicavit ,
non effuderit in decus suæ Ecclesiæ , & tanquam gem-
mas ex mari , in ornamentum illius non extulerit ? Cu-
mulavit profecto spem illam , quam de sua doctrina , &
morum sanctitate orbis Roxolanus conceperat , idq;
mox ac ad Petri naviculam suarum Ecclesiarum
Moderator concenderat , abditos amplissimarum
Diœcesum secessus , lustrando per Administros tales ,
quos nonnisi probos , scientificos , nullisq; injusti-
tiæ munusculis corruptos viros , huic muneri obeundo
destinavit , atq; Curiæ suæ , in qua omnes singulari
justitia

justitia , æquitate , & integritate dijudicandos esse
voluit , præfecit , & demandavit , ut nihil temere aut
fortuitò in tam arduo opere aggredi videretur . Et
hinc quam plurima Diæcesum Ipsius commoda pro-
manârunt ? in propatulo est , pietas mirificè erga Deum
aucta , multiplicatus erga Sanctos cultus & reverentia ,
amor Religionis constantissimè tentus in Ecclesiis ,
Clero , & populo . Agente namq; operam pro Chri-
stiana Republica LEONE illo , verbo , & opere fortif-
fimo Pastore , quid certius esse poterit , quam quod
vitam suam , omnes mores , animiq; singulas dotes ,
atq; etiam suscepsum docendæ , regendæq; Ecclesiæ
studium ad normam illius LEONIS , per quem Apo-
stolus (ut ajunt) loquebatur , instituerit ac accommo-
dârit ? Occurrunt enim pulcherrima Illius documenta
continuæ pietatis , doctrinæ sale conditæ , quam inter
oves suas dispensat , prudentiæ , moderationis species
tam accuratissimæ , ut nullæ sint causæ Diæcesum
suarum propè infinitæ , quas Ipse prius cognitione
sua dignas non judicet , quas ingenti sollicitudine non
suscipiat , penetretq; magna industriâ , atq; pari ingenii
sui absolvat celeritate . Occurrunt demum insignes
labores , cum per literas , Officiales , atq; juri suo
Episcopali subordinatos Ecclesiarum Pastores (quos
ad istiusmodi regimen optimè , & ad profectū aliorum
exercendum , probos , & rerū gnaros feligit , sanctitq;)
cohortatur vehementer populum ad omnem virtu-
tem , & planè indomitum hac in re gerit se Doctorem

Ecclesia-

Ecclesiasticum , ac Operarium solerterem : Deniq; ea
liberalitas magnificentissima , quæ in erigenda Sancti
Georgii Martyris augusta Basilica in restaurandis
Sanctorum Altaribus , aut novis erigendis , & erectis
splendidè exornandis , relucet , & munificos expensus
probat ; hæc inquam omnia immortali laude digna
in medium Dioecesum prodeunt , & per LEONEM
Leopolitanum , imitandi gratia , suas virtutes lo-
quuntur Cristiano populo . Immo si ex ipsa externa
corporis compositione : fronte , ore , vultu , quandoq;
de interna probitate judicamus , præsertim si non pro
tempore sumatur , muteturq; persona , sed constans ,
atq; perpetua maneat ; videbimus ILLUSTRISSI-
MUM LEONEM moderato incessu suo , nobis pro-
ponere modestiæ exemplum singulare , aut quia sæpè
Ecclesiarum adit limina Divina obeundi causa , san-
ctitatem commonstrare , aut quia Primores Regni
hujus salutat , visitatq; officiosè , boni publici Hierar-
chici commendandi , atq; honoris Divini augendi stu-
dium agere ; visu , totam mansuetudinē maximopere
inter populum fidelem pulcherrimam , in oculos ho-
minum præfigendam transfundere ; vultu , profundis-
simam rerum Divinarum contemplationem præferre ;
ore cum manibus coniuncto , gratias ubertim in Reli-
giones , variosq; ordines , præcipue verò nostrum Ba-
silii Divini institutum liberalissime spargere ; auribūs ,
negotia five oppressorum , five placide se se insinuare
protectioni Ejus volentium suscipere . Hæc nobis ex
interna

interna probitate Illius, atq; intimis pietatis suæ sensibus per externa signa non fucata præclare diminant. Et hinc est, quod non solum suis ovibus, verum etiam singulis Regni hujus Proceribus, quibus splendide ad commendationem Ruthenæ gentis Princeps hic Ecclesiasticus se attemperat, carus est, & sincerè amabilis, ut nemo Ipsum intueatur, qui non statim amare incipiat. Favores verò hos, ac aestimationem, quam optimè promeretur apud Senatores ferme omnes, ut unum tantum brevitatis studiō attingam, CELSISSIMUM nimirum Principem hujus Regni Proregem ILLUSTRISSIMUM EXCELLENTISSLIMUM D: VENCESLAUM ŁUBIENSKI sibi familiarem, auxit etiam, atq; ampliavit nostræ Ecclesiæ Primas nunc feliciter in Hierarchico Ordine imperans ILLUSTRISSIMUS ac EXCELLENTISSLIMUS D. PHILIPPUS FELICIANUS WOŁODKOWICZ Vladimiriensis Episcopus, qui in certis quibusdam pro tota Hierarchia Conciliabulis vidit gravitate consiliorum suorum elucescentem, ac judiciō eminentem, in illo selectissimo Præsulum confessu Leonem Leopolitanum, & in suffragium sui brachii COADIUTOREM nuncupavit, ac si Divina quadam provisione dispensatum foret, ut ille Præsul qui nonnisi summorum virorum virtutes, & merita infectatur, summis etiam in nostra Ecclesia Pontificibus succedere sperandus sit, atq; expectandus pro commodo Dei augendo, & suæ Familiæ adjiciendo

ornamento . Tam grandi profectui , quēm Christi Ecclesia utpote suavissimos fructus ex Viris SZEPTYCCIANIS decerpserat , & nunc uberrime carpit ex illa Unius post Alterum successione , tanquam aliqua non interrupta honoris traditione , atq; illius in manus suas perrectione , præivit felicis recordationis ILLUSTRISSIMUS BARLAAMUS SZEPTYCKI Cathedræ Leopoliensis Antistes , omni ex parte ornatus , ac ex singularibus suis dotibus celebratissimus . Qui ut exemplaria post se bene merendi de Ecclesia succendentibus in Episcopalis dignitatis apicem relinqueret , quarum amabò virtutum generibus naturam suam , quam probè aptā huic muneri præstanti , sumpsit ab incunabulis , non exornavit ? Novit ille Pastor præclarus , quod cordatorum Virorum , quibus conscientia tanti in Ecclesia Dei officii , atq; æstimatio animarum cordi est , potissima cura esse debet , rectè educandi populi fidelis , & simul scrupulosè explorandi mores , & consuetudinem eorum vitae , cuius omne tempus pro pietate traducendum omni Christiano homini incumbit . Unde pro scopo potestatis suæ in Ecclesia gerendæ (hac enim ex parte potissimum Laudem , & celebrationem promeretur Vir Apostolicus BARLAAMUS) id sibi præfixerat ; bonas nimirum vivendi leges exquirere , exquirendo , primùm in suas actiones transferre , atq; radicare , transferendo verò , optimè in se , jam eggredi vitâ eminere , tum sic eminendo , præesse suo populo ipsi exemplificando ,

& ad imitandum se cohortando . Immo si proprius vi-
dendum esset illius Pastoris propositum , Cujus erat
varias rationes invenire ad fideles in virtutis studio
conservandos accommodatas ; intra alias hujus negotii
Ecclesiam concernentis solicitudines , hoc etiam ad
laudandum offeret se præcipuum Eius actum , ceu
potius medium conservandæ pietatis hominum , &
commodi Ecclesiarum capiendi exquisitum , elabora-
tumq; industriose . Nimirum quod Typum librarium
Unioviæ (cujus Abbatiaæ copiosorū fructuum simul atq;
honoris Dominum se gloriosè gessit) Primus intulit ,
erexit , ac egregiè in prælo mandandis sacris Codic-
ibus perpolivit . Dignum profecto dictu , quantum flo-
ris Ecclesiasticæ devotionis exinde pululavit , ubi
jam in choris Ecclesiarum , jam privatim curati so-
licitate sui vigilantissimi Pastoris libri manibûs fi-
delium tractati , ac pervolutati ; Divinæ Gloriæ contu-
lerunt commodum , Religionis , Ritûsq; cultum nedum
hic in Russia , verum etiam apud exteros nostris oris
finitimos ampliârunt . En in quantum emolumenti
Ecclesiastici amorem , atq; propagandi illius studium
exarsit suarum Ecclesiarum Operarius BARLAA-
MUS . Voluit hic Sanctissimus honoris Divini Zelotes
præter se providum Pastorem , etiam Codicum mo-
numenta ad naturæ humanæ imbecillitatem , labilemq;
fragiliter in incuriam pietatis , quasi quædam calca-
ria subministrare . In cæteris verò exornandis hic
Ejus vitutibus , quæ non dicam exornare sed enume-
rare

rare etiam vix poterit quis , unico nobis argumento
est Monasterium nostrum Leopolitanum operâ The-
ologica florentissimum sub gratia & patrocinio Præ-
fulum de Domo hac SZEPTYCCIANA . Atq; hoc
loquatur pro ILLUSTRISSIMO BARLAAMO
munificentissimo suo Benefactore , Tutore , Conser-
vatore , Religiosorum Ordinis nostri mirifice Pro-
tectore , & proferat in publicum commoda , utilitatesq;
Dei Gloriæ , per Eundem nullâ obliterandum memo-
ria Præfulem auctæ . Qui , quotquot largas manus
suas in hoc Monasterium sparserit , dotaverit , au-
xeritq; in bonis , tot honoris Divini augmentavit ,
cujus augmenti modos per suam beneficentiam , &
liberalitatem quærebat inde sinenter . Et hactenus
dicta non aliam ob causam referre libuit , quæ ut
videant , & intelligent omnes Religionis in Deum pro-
pagandæ studiosi , & virtutum amantes , quæ Anti-
stites de Clarissima hac Familia magni sibi duxerint ,
& primarum suarum esse partium intellexerint pro-
ficiuos fieri Ecclesiæ Christi , & quæ ea inviolabilis
veritas mirum in modum cohæreat dotibus ILLU-
STRISSIMI EXCELLENTISSIMI & REVEREN-
DISSIMI D. ATHANASII SZEPTYCKI primo
suo festivo Aditu Cathedram Premisiensem tangen-
tis , hoc altero arguento per partem secundam
elucidando compleetur .

PARS SECUNDA.
Quoties magno cum dolore , sorte volibili nostro
Ordini

Ordini ereptum , sed tamen nobiliori fortuna in lucem
conspicuum Præfuleæ dignitatis avocatum fuisse
cogitamus Te Antistes ILLUSTRISSIME , angore
summo agitari oporteret nostram præcipuè Provin-
ciam , recordando dulciter susceptorum in ea laborum
TUORUM, quibûs ex ipsis sinceritatis TUÆ visceribus
tanquam Civis ejusdem fidelis , & PATER in
regedo bene providus nobis singulis prospiciebas .
Verùm ; cum majora commoda in Ecclesiam Christi ,
majoremq; utilitatem, atq; ad nosmet ipsos devincien-
dos fortiorē redundare videmus ex illo TUO è
Religione nostra in Episcopale fastigium transgressu ,
jam seposito mærore , æquiore animo omnibus læti-
tiæ triumphis exultamus , idq; ex eo maximè , quòd
nostris votis, quibûs hanc in Ecclesia Dei eminentiam ,
ex intima cordis nostri propensione semper præca-
bamur , atq; ingenuè augurabamur , hodie tandem
satisfecisses . Malumus enim TE EXCELLEN-
TISSIME PRÆSUL more Majorum Tuorum in
profectum Reipublicæ Christianæ , & ejus exornatio-
nem cedere ascendereq; altius , quàm incumbere
bono Provinciae , licetsi publico , privato tamen in
comparatione ad has trinas Tuas Amplissimas Diœ-
ceses , quibus suprema D. O. M. Gratiâ destinatus ,
atq; insolito fermè serenissimæ Majestatis Regiæ
favore oblatus , eas nunc publico ritu aggressus re-
cipis in potestatem . In quantam lætitiam unum-
quemq; nostrum , quantamve tuendi boni Hierarchici

spem atq; expectationem non inject illa pridem omnibus perspecta , ac comprobata virtus Tua , quæ Te nunc collocavit inter hos Ecclesiæ Principes , quos maximè regendo populo proficuos in primi argumenti nostri tractatione vidimus . Obversatur nimirum nostris mentibus Tuus incredibilis amor Religionis augendæ , Tua studia circa bonum publicum intensissima cum prudentia , atq; sapientia admirabili , nexu conjuncta personant in auribus cunctorum adeo , ut pro excellentia meritorum Tuorum , eorumq; in Religione nostra multiplicitate , semper exoptatus fueris ad istud regimen Præsuleum . Iam diu ante TE Ecclesiæ emolumento , immo totius Patriæ bono propagando POBOG ILLE clarissimus præivit in Viris utriusq; status de lectissima Domo Tua , veluti quoddam insigne omen progredientium unius de altera virtutū Tuarum , ad publicam salutem faustissimus , ad procurandam tranquillitatem aptissimus , ad capessendū in hoc Regno honores celerrimus . Cujus meritorū elegantissimorum copia , cum jam olim ab ipso vitæ Tuæ exortu fuisset maxima , tum deinde in ulteriori ætatis tractu rectegestis Tuis prope in immensum aucta , aperit Tibi meritò viam hodierni Ascensus planè augustam ex tanto confluentis populi , nec non Terræ hujus insignium Nobilium delectu . Idem verò eximius Tuus in benemerendi studio progressus , cum omnes olim in maximam spem de Te Ecclesiæ Christi utilitates daturō impulisset , & expectationem amplissimam conjet-

mq;

cisset

cisset , tum præcipuè modò jam in mercedem meritorum præmiò coronatus , ita omnes letitiis affecisti uberrimis , ut nulla jam sit expectatio nostra , aut spei modus , qui nunc finem suum non ceperit ; nisi fortè desideriis flagrantissimis , ut nostro cordi sunt , de hac Cathedra Premisliensi velimus Te , ad novam dignitatem efferre , & ita novam spem nostram componere , atq; erigere . Probo jure , & ut hic ordo rectus postulat , prævertenda nobis esset methodus , quam in propositum prædicandarum Dotum Tuarum regendæ Ecclesiæ accommodatarum reduximus . Et primo studiō inquirendæ Majorum Tuorum , ceu potius Originis indagandæ , calamo obversari deberent Primitiæ , utpote ex quibus semper summi in Republica Viri prodierunt & ante exordium jacti hic in parva Rossia Polonorum Regum Imperii , eam consiliō & armis (ut certandi cum hostibus , artis erant peritissimi) propugnarunt . Verùm quia non magnum Tibi arbitraris , neq; gloriosum ducis speciosa PATRUM ATAVORUMq , TUORUM præferre Nomina , atq; Eorum quasi niti famâ , & virtutibûs . Idcirco Domûs Tuæ quasi nulla merita in Ecclesiam & Rempublicam agnosceres , IPSE Solus non interruptis per totam vitam hucusq; suscepisti laboribûs , & magna sollicitudine boni publici gratiâ , in futurum augendi , omnes & singulas ætatis Tuæ partes traducere curasti , & externarum scientiarum usu præstantissimas naturæ Tuæ dotes exornare studiisti , ut præsenti honore perfuncturus de propriis

Tuis

Tuis meritis & virtutibus habeas ad justissimam ja-
ctiam , æstimationem . Atq; ut rem tangamus ex
ordine , imprimis PUERITIÆ Tuæ in altum extol-
lendæ damus operam ; quam in honestissima OPTI-
MORUM PARENTUM TUORUM Domo tanta
probitatis integritate , vitæ innocentia , atq; assiduo
pietatis studiô , in proœctu verò literario tanta con-
stantia , liberarumq; artium haud intermisso conatu
ita laudabiliter exegisti , ut quicunq; propius olim
Te noſſent , ii jam ex Tua optima indole futurum
eſſe Præſulem regendæ Ecclesiæ aptissimum præter
omnem suspicionem conjeſſent . Augurabantur
quippe , & in altissimam de Te summi Viri in Repu-
blica Christiana futuri expectationem ergebantur ,
qui primitivorum annorum Tuorum mores , mirè
mentis suæ exploratione tenebant , & oculis placidè
volvebant , cumq; nihil in eis leve , dignum pueritiâ ,
aut vulgare , aut humile , & abjectum deperirent ,
æquo jure in hoc , vel ſimile prædicandæ , eggrediæ
Tuæ vitæ encomium poterant convenire , atq; una-
nimi consensu erumpere , quod sanctus Athanasius in
ludo puerorum , primam ætatis suæ partem agens ,
prope flumen marinum , ſui lufus comministros ſacro
fonte luſtrali tingendo , & Principem Ecclesiasticum
ſe declarando , vendicarat a ſuo Prædeceſſore Ale-
xandro Patriarcha Alexandrino : (E) nimirum ab
ipſo lucis humanæ aspectu ad regendum populum fide-

lem

(E) Theodoretus , Eusebius in Vita S. Athanafij .

lem destinatum suisse a Deo Athanasium. Enim verò
mox ac alteram vitæ Tuæ attigeras partem, adole-
scentiam scilicet, quam jucundissima recordatione re-
volvunt TIBI ILLUSTRISSIME coætanei, illicò
fervore summo amplexandi vitam monasticam agi-
tatus, intra Lithuanæ Provinciæ institutum non sine
providè Divina manu dispensante pedem movisti.
Nam sanctissimæ vitæ exemplaribûs ab egregiis
TUO NOMINI & SANGUINI conjunctis Viris hic
in Polonia relictis, cedere debueramus alteri Provin-
ciæ, in hac felicitatis nostræ parte, & ut per omnem
oram VITÆ TUÆ integritas pervulgetur, cele-
breturq;, pro condigno extensius, transferendum
Te Majores Tui bene judicârunt. Iam hic intra li-
mites Patriæ, jam extra, ubi nomen dederas Di-
vinissimi Basillii Familiæ, in illa florescente doctrina,
& sanctitate Provincia immoratus, quantas virium
tuarum expensas non feceras transferendæ causâ in
dotes proprias exemplaritatis, ad sanctimoniam, ad
pietatem nullâ desidiâ interrumpendam, ad humilitatē
nulla laude (quæ Tibi præstò ex votis aliorū ad manus
erat) amittendam, ad modestiam nullo fastu minuendā,
ad castimoniam nullo contrario sensu lædendam, ad
mansuetudinem, variis cogitationibûs, verbisq; impro-
ficiuis haud intermiscedam. Pertractabas operosa
manu vitas gestas Sanctissimorum Patrum, & nihil ante
Tuam memoriæ celeritatem summam subduxit se,
quod lexitando non perciperes, aut percipiendo

K mente

mente non teneres , aut tenendo mente , in mores
non reduceres , quos ideo tam probè juxta Patrum
nostrorum exempla componebas , quia Ponti-
ficem immaculatum debere esse , Sanctum , omnibusq;
virtutib; ad prælucescendum suo populo imbutum
(F) non ignorasti . Ast ideo Regni hujus regiones
illam sanctitatem Tuam quæ ex unguibus juventutis
Tuæ prodibat cum incredibili cæterorum admirata-
tione , continere non valueront , quia summa erat , &
summam urbium Reginam , sapientiæ & pietatis mag-
nificentissimum domicilium , Christiani orbis maje-
statem , ac veluti arcem quandam , Romam nimirum
petierat . Profectus hic splendidâ expensa ut dignum
erat tanto Iuvene optimo non minùs ac nobilissimo
ILLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI REVE-
RENDISSIMI D. ATHANASII SZEPTYCKI
Metropolitæ Russiæ , cuius cordi intimè eras , auxisti
per excessum spem Illius Magnatis , licet si singula-
rem , & maximam de Tuo literario ludo Romæ agendo
conceperat . Quis enim hac in Urbe Tuas insignes
dotes non prædicavit ? & ad gloriam Polonorum satis
abundanter non extulit ? ubi ita honorificentissime ,
vitam egisti , ut cunctos in singularem amorem hic per-
traheres , atq; aptata Tua ad singulorum dispositio-
nem indole , alliceres omnes eos , qui rarissimam
ingenii Tui aciem observabant , judicij gravitatem ad-
mirabantur , obstupescabant verò ad Tuum animum

(F) *Sancius Paulus ad Habr: Cap: VII.*

ardore pietatis accensum , atq; scientiarum compa-
randarum excitata desideria . Quid ? cum pro docto-
rali decertares laureola publicè , inter tot sapientissi-
morum Virorum , Doctorumq; illorum celeberrimi-
morum cætum , quorum nomen tantæ æstimationis
est , ut pro integritate illibatæ Religionis fulcra di-
cantur , & reclinatoria immunitatis Catholicæ . Quid
inquam da hac Tua in literariis disciplinis eminentia
judicandum sit ? vertimus mentem ad minora gloriose
a Te hac in re acta (minora enim haud dubiè majo-
rum mensura sunt , quoties aliquis primùm minoribūs
eggregiè fungitur) Adhuc in nostro Ducali Monaste-
rio Lauroviæ studiō versatus in Philosophico , cum se
obtulisset præclarus ille titu'us publicè disceptandi sub
inscriptione NOMINIS ILLUSTRISSIMI METRO-
POLITÆ RUSSIÆ ATHANASII SZEPTYCKI
adeo ad admirationem cunctorum , subtilium difficul-
tatum omnia genera , omnesq; maximè perplexos
arcanorum 'TIBI porrectorum nodos , dignos ingenio
ipsorum Magistrorum dissolveras , jam mira res-
ponsionis facilitate , jam in illis probè intelligen-
dis singulari ingenii celeritate , jam illa facundissima
in elucidanda re , elocutione , jam ad proposita ab alijs
verba argumentorum capienda , & in mentem alacrem
devolvenda promptitudine , ut nihil planè intelli-
gentiæ Tuæ objiceretur , quod a suffrago hoc in
opere brachio Præceptore nimirum 'TUO aut faci-
litandum , aut clarius explanandum , aut hæsitandum
flog

(tanta

(tanta etiam difficultia expediebas) relinquetur .
Nihil quippe præclaram & planè insolitam Tuam
scrutandi res altissimas indelem affugit , qnod non
teneretur memoriâ , aut latuit , quod perspicaciæ
summæ Tuæ non fuisset reseratum , apertumq; ad evi-
dentiam intellectui , quô ceu acutissimô gladio quopiam
dissectum , disruptumq; penitus , TIBI vincendi in cer-
taminibus eruditis , triumphandiq; modos non sup-
peditasset . Ex his jam pulcherrimis virtutum intelle-
ctus Tui fructibus ac ornamentis , quibûs sub illud
virentissimæ ætatis TUÆ tempus , olim ad Eccle-
siam Dualem florebas , procedendum nobis relin-
quitur , atque explorandæ Romanæ illius disserta-
tionis Tuæ pro jure Doctoris , studium cst . Sive
igitur quid ad Religionis nostræ arcana explicandum ,
(ut Theologorum Dogmata Sacra tractantium concer-
nit operam) oblatum Tibi fuit in illo Romanorum
Doctorum Campo , adeo TE Virum scientificum in
illo negotio literario facillimum repererant , ut qui-
vis Doctorum eorum hanc apud se spem instituere
de TE potuisset , nimirum imitaturum Te fore
Divum Athanasium , cuius nomen geris , in explanan-
dis Ecclesiasticis dogmatibus commendatissimum Pa-
trem , & Doctorem præstantissimum ; Sive ad diffi-
cultates Sacrarum scripturarum plenè enucleandas
attinens , TIBI propositum fuit , aut de speculationibus
Theologicæ facultatis obversabatur menti Tuæ , summi
honoris , & auctoritatis vestigia , in Urbe reliquisti
post

post Te , & posteritatis memoriae cōmendaſti Nomen
Tuum . Ita Adolescens undequaq; conspicuus , optimi
cujuscunq; honestissimi & sapientissimi Viri oculos in Te
convertisti , animumq; Tibi planè comparasti , ma-
ximo in honore ac pretio ab omnibus haberi cœpisti .
Statim ac Te tot präclarissimarum dotum opibūs in-
ſtructum , certantem pro Doctoris munere viderunt
conspexeruntq; Scientiarum Arbitri , ad ſe avidè quo-
dammodo pertraxerunt , atq; in gremium Doctorum
coaptarunt , Illi ; Polonorum Genti gratulando , quòd
ſicut ſapientem ſatis à ſe Virum in Urbem ſuam trans-
portarat , ita Romanis Doctoribus comparandum
fortitura eſſet retrorsum , Illi ; prämaturè jam Ab-
batem , jam Episcopū ex persona , naturali ornementō
composita , prodeunte , vultu , gressu , actisq; cæteris ,
gloriosè ac ſapienter legebant in TE , adeò ut frequen-
tissimum Nomen & quotidiana appellatio TUI in ore
Eorum occurreret , Magnatis & Ecclesiæ facile Prin-
cipis . Illis itaq; artibūs & illis arcanis , quibūs Eccle-
ſiæ bonum propagatur , imbutum , & quæ quotidie è
Libris quorum legendorū maximè TE delectat abun-
diūs percipis cognoscisq; , & externalium linguarum
ſcientiā copioſum , verbō : quid quid apud exterorū
in quolibet genere optimum excellentissimumq; repe-
ritur , horum omnium bene gnarum Reducem in
Patriam , mox ad officia ac potestates unà cum illis
acquisitis dotibus perhonorificè collocandum , omni-
bus lætitiis approbarunt , Patres nostri . Atq;
solitumq;

quantum æstimatores propagandi per TE boni Publici
in Religione essent , luculentissimis altæ de TE
existimationis atq; oblatorum munerum Tuâ sapi-
entiâ prudentiâq; tractandorum testimoniis palam
declararunt . Et imprimis cùm sis à natura ad instru-
endum verbô Divino populum , à DEO rectus , quô
maximè floret Respublica Christiana , & principatum
suum obtinet , laborioso multumq; saluti hominum
proficuo tempore , operam faciendi verba ad Fideles ,
& instituendi doctrinam sacram in Stauropigiana Ec-
clesia Leopoli eggrediè , cum laude illius Urbis nava-
sti . Omen istud de TE & præfigium quodammodo
præivit illi doctrinæ , quam ex Cathedra Pontificia
suo tempore eras dispensatur . Verba non sufficiunt ,
complectendi sigillatim & ad partes reducendi illos
'Tuos , (ut verius loquar) Apostolicos in salutem au-
gendam hominum pensus . Exemplum enim in TE
& normam ad omnem pietatem habuit Leopolitana
Urbs , cuius vasta satìs Compita , quæ Vestigia Tuæ
in se impressa non receperant ? quos curæ & solli-
citudinis Tuæ sudores non collegerant ? ubi pro ne-
cessitate administrandæ Parochiæ seminasti labores ,
jam invisendi ægros gratiâ , jam sacram Synaxim
dispensandi , pauperes consolandi , & unum quemq; ad
suas supplicationes & preces juvandi , ad quas TE
hortante , excitante , præstanteq; ex ore proprio
earundem precum initium , Teq; commendante , gra-
tiores esse Deo meritò arbitrabantur Fideles . Hi

primitiales

primitiales in Vinea Christi pro honore Dei populiq;
salute labores Tui fusi, adeò erant uberrimi, ut
præstantissimum sumerent statim pretium, in devo-
luta ad manus Tuas illa gubernandi **candem Stauro-**
pigianam Ecclesiam, atq; **Basilianam Familiam ipsi ad-**
jacentem, **potestate**, & paulò post in **Abbatiali Cruce**
Kanioviae æstimarentur jure optimo, scilicet pro con-
digno. Sed quid? illane sola VIR ILLE quem ab
adolescentia virtutes ad Præfulis munus aptabant,
pertractavit, sibiq; viam ad hanc præcelsam Dignita-
tem aperuit? minime. (g) Nulli ferme Religionis
sunt gradus, quibûs ad sublime illud summi Sa-
cerdotis Fastigium non pervenerit, & tanquam debi-
tum prægrandium Meritorum suorum cumulô non
occupaverit. A minoribus enim ad majora, à majo-
ribus verò ad maxima, migrasse TE PRÆSUL
ILLUSTRISSIME probarunt luculentissima testimo-
nia nunc in Ecclesia Leopolitana, ubi in amplissimis
ejus Diœcesibus, post vigilantissimum earum Pasto-
rem, ILLUSTRISSIMUM LEONEM, quasi se-
cundum rerum gerendarum Ministrum agebas, cum
maximo Ecclesiæ illius emolumento & suffragio, nunc
in Provincia Polona, ubi regendam universè Basilia-
nam Familiam susceperas, adeò cum Nominis sum-
mo honore, Religionis decore, atq; incredibili com-

modo

(g) Non ille ad Episcopatum subito pervenit, sed per omnia Ecclesiastica
officia promotus, & in Divinis administrationibus sepe promeritus ad sa-
cerdotii sublime fastigium cunctis Religionis gradibus pervenit. Sanctus
Cypr: de Sancto Cornel: Pont: Rom::

modo , ut in illo triennio dulcissimi Tui Regiminis ,
multa tempora explevisse TE in ampliando Bono publi-
co necesse est, ingenuè fateamur. Porro cum sic enixi-
fima studia Tua ILLUSTRISSIME PRÆSUL apud
nostram explicares Provinciam (rem verā & ab omni
foco secretam explanandā aggredimur .) Mox ac quo-
cunq; Monasteriorum nostrorum visitandorum infer-
res pedem , hīc crevit simul utilitas summa , illibata
sanctitas Religiosorum , intaminata atq; incorrupta
Regulæ observantia . Quicunq; TE EXEMPLARIS-
SIMUM PATREM , nostrūm Fratrum vidit , statim
exardescetebat in imitationem morum Tuorum optimo-
rum , & quid quid sive in vultu Tuo semper amabili ,
benigno , affabiliq; ad singulos , sive in sermone , sive
in actione observavit , mox curavit apud se notare
diligenti studiō . Admirabile illud est , & sanè rarum
in Viris etiam sapientissimis , quòd Paterna lenitate ,
plusquam pœnali animadversione in regendos subditos
ad rectum vitæ ordinem adeò fortunatè traducebas ,
ut amore Tuo pluris feliciusq; infirmitatibus aliorum
salubriter prospiceres , quam si quis vellet rem per-
ducere ad justum rigorem . Quid? si florem in quem
pulcherrimè Provincia nostra Te Superabitro beatè
excrevit , cernamus? videndum nobis obversaretur
affatim , auctum vel potius roboratum constantissi-
moq; favore obtento apud Celsissimos Lubari Hæ-
redes solidatum illud Lubarensis Lycœi nostrum insti-
tutum , in quo nunc selecta Nobilium Iuventus præter
usitatam

usitatam Literariam disciplinam depromit etiam peritiam exterarum linguarum. Szarogrodense verò , quòd inculta hac musa suum AMPLISSIMUM MECÆNATEM & PROTECTOREM præcipuum colit , distinctim gratias Tuas capere haud idoneum est illo supplice PROTECTIONIS TUÆ libello , quia proptermodùm in infinitum calculum revocari deberent , maximè verò cum Monasteriorum nostrorum cuiquam in tam ampla Provincia multiplicatorum certanti de loco suo in has paginas reducendo , ad explicanda sua commoda & utilitatem per TE illatam promptissimo , palmam præriperet . Sed missò partium studiō quorumcunq; sigillatim Cœnobiorum optimi Regiminis Tui expertorum satis aptissimum erit demonstrandi gratiâ magni semper habitam fuisse Tuam PRÆSUL ILLUSTRISSIME in Ordine Basiliano capacitatem optimam , regendi etiam Potestate suprema , illud Brestæ congregatum pro eligendo nostri Ordinis totius GENERALISSIMI ABBATIS Capitulum . Quanta ibi authoritas Tua in congreario emeritissimorum Patrū utriusq; Provinciæ assulsit , & cordi omniū adhæsit ? ubi TE pro bono Ordinis publico in sententiis & consiliis sapientissimis deprehenderunt gravescentem adeò , ut mox ac audirent TE loquentem , Sapientem admirati essent , & ad publicissimum Fastum ABBATIS GENERALIS destinandum ardenter adamarent . Lusit diu par fortuna inter TE Concivem Reipublicæ sacræ optimum , & alium Egregium hujus

muneris supremi Candidatum ; ac tandem sortem
Tibi præripuit , si præripuisse dicenda est , quia mul-
tum nobiliorem brevi tempore offerendam , hanc ni-
mirum Præsuleam decreverat apud se . Et certè quis
in admirationem insoliti planè ac inauditī ad hanc
Pontificiam Dignitatem TUAM Ascensūs omni non
rapietur sensu ? D. O. M. decretorum suorum nun-
quam interruptō statutō , concredendum Tibi illud
munus præcelsum per corda hominum disposuit , TU
distractus regendæ Provinciæ nostræ curis , atq; nego-
tiis , ut muneri illi expedit ordinandis , ista penitus
non cupivisti ; Ecclesia TE proficuum Pastorem suum
summè desideravit , & talem , mox post vitæ hujus
decessum ILLUSTRISSIMI SZUMLANSCII pro-
clamavit , TU hæc , utpote nostro bono solerter in-
cumbens , ignorasti ; Proceres tamquam bene de Re-
publica Religiosa emeritum VIRUM postularunt , TU
non animadvertisisti ; REX mandavit , Diplomateq; ad
regimen Ecclesiasticum destinavit , TU inscius præstan-
tissimæ TUÆ fortis , hanc suscepisti . Et quid honori-
ficientius poterit cogitari , aut quô evidentius common-
strari , TE esse PRINCIPEM ad gubernandum Christi
Ecclesiam maximè aptissimum , accommodatissi-
muq; PASTOREM ? ubi hujus causà negotii præ-
standi , ipsa Dignitas Præsulea tanta sollicitudine , &
mira Divina provisione quæsiverat TE , & nescientem
Fortunam suam invitaverat . Profectò PRÆSUL IL-
LUSTRISSIME , nisi TE præclaris illis Tuis , quibus

ad

ad admirationem hominum polles dotibūs , augendo
Honori suo summè idoneum Deus intuitus fuisset , &
in Ecclesia sua Fidei conservandæ mirè proficuum
animadvertisset ; tam præclara , tam inusitata , tam
laudabilissima , Manus illius TECUM non egisset ,
utpote cujus cordi non sunt , viri in Ecclesiam suam
vel pauci emolumenti , vel nullius . Iamq; sic Ponti-
ficia dignitate in Cathedra resurgent , & de proba-
tissima virtute , deq; inexhaustis laboribus , accura-
tissima illa TUA prudentia , præpotenti in omni re
consilio , infracta fide , egregia animi stabilitate ac
constantia , cæteræq; probitatis ac meritorum cumulo
planè in excerpto , triplici Diœcesum INFULA Re-
dimito (utpote semper nonnisi in meritorum pro-
priorum mercedem redimiri , maximi Honoris TIBI
duxisti) tum usq; modò Clarissima Proavorum
Tuorum NOMINA veniunt , & ornamenta summa
secum ferunt ILLUSTRISSIMO MECÆNATI .
Quorum si antiquitatem Præstantissimæ Originis in-
quiris per genus Paternum , adeò vetus est , ut ad-
huc ante hujus Regni plantam jactam in Rossia ,
jam Sangvinis Nobilitate crescens , ac meritorum sin-
gularium rectefactis egregiè eminens , Magnos &
Illustres SZEPTYCCIOS omni sæculo reddiderit .
Primus namq; clarissimus Vir SEPTIUS POBO-
GIUS , Genere Romanus Nobilis , Ordinum milita-
rium Dux apud Cæsares suos Romanos Potentif-
simus , DOMUI VESTRÆ primùm hic in Rossia ,
deinde

deinde ferè per totum Regnum Polonorum ampliandæ , tanquam Fons primitivus præivit . Cùm enim Vir ille , arte atq; studio bellico dimicandi causà , ordinatissimas Militiæ Romanæ Legiones , in eas nostras Oras , quas nunc Pocutiam vocamus , & alias finitimas Regno Poloniæ adscitas partes , incolatu hominum maximè raras traduxisset , atq; adversus Germanorum multam belli copiam , aliorumq; hostium vires , catervæ jam hìc ante dimicantium Romano- rum , junctas manus fecisset , primùm post insignes victoriarum suarum fructus collectos , & ante oriundam ex SE SZEPTYCCIANAM Familiam amplè in campis nostris sparsos labores , SE IPSUM tandem in obsequium Fidei Christianæ Orientalis Ecclesiæ Ritu suscepitandæ devicerat , atq; suo Insigni POBOG dicto , totius Christianitatis signum , Crucem nimirum , hujus rei gratiâ , adjecterat . Quanta verò in his Rossiaæ Regionibus per NOMINIS VESTRI AUTHOREM , Marte & consilio instructissimum profluxerunt commoda , eademq; Succedanei post illum SEPTIUM Viri ampliarunt , istud , accuratioribus supra hanc rem Historicorum monumentis relinquendum putavimus ex eo , quia cum sint per tot sæculorum spatia bene multiplicata , maxima immo propemodùm innumera esse , creduntur . Id conspicuum est , quòd SZEPTYCCIORUM Virorum maxima virium dispendia exacta in Bono publico , illiusq; immunitate fovenda , non sine lucro magnæ fortis suæ cernuntur

cernuntur per volumina antiquitatum , nec labores
Eorum sine præmio spectantur , nec sudores , æstusq;
gravissimi , quibûs , semper cupidi , amantesq; gloriæ ,
armis has partes Rossiacas propugnarunt . Quadrin-
genti jam & plus ultra præterlabuntur anni , quando
in æstimationem singularem meritorum , Princeps Ille
Magnus Rossorum LEO , amplissimas bonorum Hære-
ditates in manus ILLUSTRIUM POBOGIORUM
devolverat , atq; Privilegiis suis muniverat . Cum
vero ea Domûs suæ antiquitate , famæ optimæ gloriâ
Fidei constantiâ , sinceritatis erga suos Principes
immutabilitate , ita hic in Rossia floruisserent , ut tan-
dem Regno huic Poloniarum , conjunctis sui Ortûs
Provinciis , in magna ejusdem Imperii Decora , adver-
sante Fortuua non postrema solatia , & fortissima præ-
sidia evasissent , Princeps etiam polonus SERE-
NISSIMUS CASIMIRUS , advertens Eorum sum-
mam in componendis Domesticis rebus , & externis
prudentiam , consilio , & virtute Sibi acceptam , Pri-
vilegia POBOGIORUM SZEPTYCCIORUM , bona
Hæreditaria , accedente authoritate Statûs Reipublicæ ,
novo favore suo amplissimè confirmavit , dotavitq; .
Unde ex illis nonniſi Aboriginum Tuorū NOMINIBUS
præclaris , quæ aut in Fastis , & Annalibus Regni hujus
reperiuntur , quæq; propinquioribus memoriæ nostræ
diebûs , obversantur , nunc in Equestri Ordine , nunc
in Comitiis Nobilitatis Polonæ desideriis succurrisse ,
atq; summè profuisse leguntur speciatim , magna laus

TE PRÆSUL ILLUSTRISSIME derivatur . Et ita
quām pulchrum videre erat in ILLUSTRISSIMO
SZEPTYCCIO Capitaneo Tyszoviensi boni publici
Defensorem (Qui se natum non alia sorte judicavit ,
nisi ad ferendam Patriæ suæ opem , & præsidium)
Legum Patriarum Observatorem , fidelem semper
ac carum Civem Reipublicæ , Virum eruditissimum ,
ac ex virtute sibi ingenita clarissimum Oratorem ,
tanta authoritate in minori Polonia vel maximè , con-
spicuum Magnatem , ut inter plura erga Eum amo-
ris omnium , ac æstimationis documenta , illud non
mediocre numeretur : quod cùm præmatura morte ab
aspetto vitæ hujus mortalis ereptus fuisset , tot fulcra
Patriæ cecidisse putârunt in Viro præclaro illo , quot
præstantissimas , & ad utilitatem Reipublicæ Nobilium
accōmodatas numerârunt dotes , & amiserunt . Repa-
ratur tamen singulari D. O. M. provisione illa spei
summæ de Capitaneo Tyszoviensi conceptæ jactura , in
ILLUSTRISSIMIS SIMONE Capitaneo Kozicensi ,
Leopoliensi verò Dapifero , & altero FRANCISCO
Pocillatore Leopoliensi , SZEPTYCCIIS . Hi Viri
magnas res profectò gerunt , & Regno admodum saluta-
res , Quorum Consilii vis , ingenii profunditas , sermonis
mira gravitas , atq; in omni negotio declarata animi
magnitudo appareat . Majorum enim suorum insistunt
vestigiis virtutum , in quibus nihil erat leve , nihil
Patriæ in fructuosum , nihilq; suo NOMINI inglorium ,
sed omne laude dignum , authoritativum , summeq; a

Republica

Republica æstimatū , ut tantos Proceres belli peritis-
simos , pacis universæ studiosissimos , plenissimosq;
omni meritorum genere decebat . Sed quid opero-
fiori exquisitione tam clarissima NOMINA prope-
modū immensa ad dicendū , in planum hīc deducere
superbimus ? quæ præ immemorabili vetustate , am-
plitudine verò virtutum , ac meritorum , ipsorum
etiam Scriptorum paginæ vix complectuntur , præ-
fertim cum omnes Viri SZEPTYCCIANI unus-
quisq; sigillatim summa laude , summaq; celebratione
dignissimi , quasi in eodem statu Rectegestorum su-
orum se se conjunctim exercentes , nostram elocu-
tionem , supergredientem gloriam , sibi vendicarunt .
Et cum aliorum Majorum Tuorum PRÆSUL ILLU-
STRISSIME NOMINA partim Annales Regni ,
partim leges Patriæ , tum deniq; plurimorum præ-
seferunt monumenta , jam alteri operæ pretium da-
mus , nimirum ; quod TIBI alta Cognatio , & Sangu-
nis Tui cum aljis in Regno hoc Magnatibus con-
junctio singulare texuit ornamentum . Et ita primò in
WISZNIOWIECCIIS , Regium sanguinem attingis ,
in CZARTORYSCIIS , Celsissimis Principibus so-
ciaris , in CZETWERTYNSCIIS , Imperatores
Rossiæ concernis , in RZEWUSCIIS , Supremis
Exercituum Ducibus affinem TE repieres . SKARB-
KORUM verò CHODOROWSCIORUM , KRO-
SNOWSCIORUM , quàm splendidè TUÆ Digni-
tati Pontificiæ præfulserunt NOMINA , quàm ma-
jestuosè

jestuosè HUMIECCIORUM , KOROPATNICCIO-
RUM , LIPSCIORUMq; Eximii præcurrerunt Tibi
honorum Fastus? in quibus ad commendationem TUI
in Hierarchia Ecclesiastica , offert se etiam murex
Cardinalitus . Per DIAKOWSCIOS , ROSNOW-
SCIOS , BIELSCIOS , BILINSCIOS , TURZAN-
SCIOS , WYSZPOLSCIOS , CZOLHANSCIOS ,
LEDOCHOWSCIOS , USTRZYCCIOS , GUMO-
WSCIOS , DWORNICCIOS , TREMBINSCIOS ,
aliosq; Regni hujus Poloniarum Excellentissimos Pro-
ceres , universas Regiones , & Provincias imples TUO
SANGUINE . Non desunt etiam ingentia meritis
titulisq; Nomina , ex quorum grandi illa compage , &
nexu cum Domo Tua præcelsa confurgit Hæredi-
tarius quodammodo ad hanc Premisiensem Cathe-
dram progressus . En ILLUSTRISSIMUM , EX-
CELLENTISSIONUM ac REVERENDISSIMUM
D. GEORGIUM WINNICKI , Metropolitam
Russiæ , Sanctissimum , præstantissimumq; Pastorem ,
cujus virtutibûs hæc TUA Ecclesia tanquam Cælum
pulcherrimis syderibûs resplenduit adeo , ut in
Ejus Altari , Sanctorum ritu colendum Summæ
nobis sit spei . Alterum verò ILLUSTRIS-
MUM EXCELLENTISSIONUM & REVERENDIS-
SIMUM D. ONUPHIUM SZUMLANSKI , unde-
quaq; consummatæ probitatis Pontificem , No-
mine , & rectefactorum gloriâ , usq; ad ipsam Urbem
Austriacam per ILLUSTRISSIMUM EXCEL-
LENTI-

LENTISSIMUM , ac REVERENDISSIMUM D .
IOSEPHUM SZUMLANSCIUM Leopolitanū AN-
TISTITEM , belli muneribūs versatissimū Ministrū ,
celeberrimū , Quorum tanquam manibūs prædecessionis
tradita TIBI est Antistes ILLUSTRISSIME CA-
THEDRA hæc , laudatissima vetustate commendata ,
ut cum sis particeps Sanguinis WINNICCIORUM ,
SZUMLANCIORUMq; , Sanctissimorum Præsulum ,
jam anterius meritis in Ecclesia optimè glriosorum ,
tum etiam reliqtæ post SE famæ , Sanctitate SUA
& sollicitudine Pastorali comparatæ , Augmentatorem
TE futurum , corundē meritorum in hac CATHE-
DRA , spe summa disiderârunt . Iam Maternū TUUM
Genus per CZAYKOWSCIAM cunctis virtutibūs
ornatissimam , in TE PRÆSUL ILLUSTRISSIME
derivatum , permultas TIBI cognatas adnectit FA-
MILIAS ; immò universæ Regiones Submontanæ ,
quæ omnem ætatem non interculo ordine Viris junctis
CZAYKOWCIORUM NOMINI , semper perfe-
ctis , variorumq; honorum genere conspicuis perte-
xant ; prodeunt in amplitudinem DOMUS TUÆ . Et
cum ita præter Externarum FAMILIARUM tanta
Decora , tantamq; Ipsius DOMUS TUÆ vetusta-
tem in Polonia , ac Nobilitatem SANGUINIS , ad-
huc pietatis , doctrinæ , clarissimorumq; reætegesto-
rum muneribūs TUIS exornas SZEPTYCCIA-
NAM Propaginem , Dignum TE meritò producit
hodie Pontificem , in CATHEDRAM extollit , &

O

Sacro

Sacro huic Magistratui reddit aptissimum. Quocunq;
igitur totam dictorum de TE ILLUSTRISSIME
PRÆSUL rationem conferamus; sive nimirum parte
ex una ad sublimem longamq; potestatem, quâ in
Imperio Ecclesiasticæ Republicæ regnârunt, & hucusq;
regunt Principes Ecclesiarum, CELSISSIMI, IL-
LUSTRISSIMIq; SZEPTYCCII, & TIBI IPSI ad
eadem regimina vestigia calcarunt & inantecessum
præierunt, sive parte ex altera aciem intendamus,
in præclarissimam Lucem NOMINIS TUI, a pri-
mo suo ortu, jam Regum, jam Principum, jam
Senotorum, aliorumq; Magnorum TUORUM sa-
tam Sanguine Nobilissimo, & in tota Polona Re-
publica per Nomina Familiarum prognatam, sive
tandem TUORUM PROMERITORUM Magnitu-
dinem ad prima quævis honorum fastigia sumenda
accommo datam, in regendo prudentiam, & in di-
spensando dogmate miram aptitudinem, doctrinæ
TUÆ præstantiam, atq; in operando pro honore
Dei animi TUI alacritatem, virium robur constan-
tissimum, paulisper & strictim complectamur.
Quantâ ex alterutra parte, his invicem comparata
istius CATHEDRÆ oportunitas, PASTORIS ni-
mirum optimè Nati, prudentis, & sapientis Viri,
quantâ inquam cohærentia, quanta consensione,
consonat mirificè in TE, TUISq; dotibus, a Pue-
ritia, ab Adolescentia ad summa elucescentibus &
ordinatis? Cum enim potestas regendæ Christi
Ecclesiæ

Ecclesiæ jure quodam SZEPTYCCIANIS Viris
Hæreditario derivetur in TE unà cum NOMINE
Celebratissimo ; quam quæso spem eamq; summam
non instituet Ecclesia TUA de TE VENERANDO
PRÆSULE suo , quantam non ager opinionem fu-
turi Diœcœf eos commodi , hominumq; in se bene
multiplicatorum , curæ , sollicitudinis , & vigilantiæ
TUÆ . Quandoquidem Unus de providissimo
SZEPTYCCIORUM PRÆSULUM cumulo CA-
THEDRAM hanc pertingis , Qui semper optima
doctrinâ beatè populū fidelē gubernârunt , exempla-
ritatē omnē probæ vitæ , & pietatis cultam fvaserunt ,
& nunc indesinenti studiô hujus rei operam pertra-
ctant . Iustas itaq; magnasq; esse causas , tum TIBI
PRÆSUL ILLUSTRISSIME , tum Ecclesiæ TUÆ
gratulandi , applaudendiq; . Illustris perquam hæc
CATHEDRA , & Apostolicis semper Viris tenta ,
tum demum honorificentissimorum in ea Principum
authoritate exornata , ILLUM TE hodiernis lætitiaæ
suæ triumphis complectitur , QUEM jam alibi optimè
res gerentē , omni cum labore exquisito absolventer ,
omniq; sapientia in Provincia nostra pertractantem ,
atq; singulari prudentia toties confirmatā aptitudinem
TUAM observavit , summis desideriis excupivit , &
per præsens munus Præsuleum , quod hodie fortunatissimè
capef sis , suos flagrantes erga Te animos , doma-
vit , quietavitq; feliciter . Præripuit quidem nostræ
Provinciæ partem fortis maximam , quam tamen in
Ecclesiæ

Ecclesiæ Christi decus , atq; promeritorū TUORUM
mercedē condignam lubenter cedimus , ut spem illam ,
quam de TE PRÆSUL ILLUSTRISSIME Ordo
sacer conceperat , hodie populus selectus , delectusq;
Nobilium , atq; universa Ecclesiæ HIERARCHIA ,
impleat , Decus , & ornamentum singulare BASILI-
ANÆ FAMILIÆ confirmet , quod TU maximum ,
& illius commendatissimum in PONTIFICIA PER-
SONA TUA cùm prosperitate non minus TUA ,
quàm nostra inchoasti . Verùm PATERNÆ BENI-
GNITATIS , ac BENEVOLENTIÆ TUÆ partem ,
pro parte erecta fortis nostræ , suppliciter oramus ,
exoptamusq; ut TE PATREM & PROTECTOREM
(sicut hactenus humanissimè , & addictissimè in Pro-
vincia nostra egisti) rebus nostris , totiq; Religioni ,
quam singularioribus TUIS prosequabar gratiis ,
præbeas . Nostrî verò munera unicè intererit pro
TUIS HUMERIS , quæ nunc Reipublicæ sacræ susten-
tandæ admovisti , D. O. M. fusis ardenteribus
precibüs ad suam Majestatem precari , fidelissimè
omnibus TUIS nutibus morem gerere , omnibusq; jussis
obsequi , ac protinus obtemperare . Conservet TE
SOSPITEM diutissimè , & omnibus desuper gra-
tiarū suarum adminiculis (ILLE , cuius suprema pote-
state singula gubernantur) inter hæc gravissima MA-
GISTRATUS TUI officia , in plurimos annos reddat
cumulatum , omniq; ex parte Beatum , ac plenio-
rem adhuc novis honoribüs , in præmium MERI-
TORUM

TORUM TUORUM , quorum in dies augendorum
fuscipis nunc Provinciam , faciat TE.

Illis itaq; nostris Votis , quæ sincerrimo cordi apud
nos sunt , maximè verò HIERARCHIÆ TOTIUS
innixus pretiô , Illustrium HUIUS TERRÆ Nobis
lum desideriô latus , omniumq; Dioecesum harum
Civium , gratulationum accessione stipatus , GRADE-
RE jam fortunatè PRÆSUL ILLUSTRISSIME , atq;
splendidissimè CATHEDRAM hanc occupa , auge
SZEPTYCCIORUM PRÆSULUM amplissima in
Ecclesia Christi PROMERITA , & HIERARCHICI
ORDINIS (qui incredibili lætitia ex TUO
ASCENSU hodierno resulget) decora accumula ,
summaq; Ejus negotia , quorum pertractandorum
gratiâ TUUM ALTISSIMUM IUDICIUM expe-
ctant PRÆSULES , in commodum RUTHENÆ Ec-
clesiæ deducere , pro immortali Dei gloria NOMI-
NISq; TUI commendatione , ACCELERA .

